

admittere declarat. Carolus I V. Imperator, diplomate dato in Carleistein, anno 1364. Ciuitatem Bizuntinam, Arcem Imperij munitissimam, & clypeum fortissimum vocat, & quod aduersus hostes Imperij, prima se semper obiecerit, & nunquam defecerit, gloriosissimo encomio dignatur.

At quantum profuere Romanis auxiliares Sequani, tantum obfuisse hostes, veterum proditur monumentis. Teuthonum Reges à Sequanis in Alpibus victos, & captos, nec vnquam feliciter Gallos, absque Sequanorum auxiliariis copiis, aliquid gessisse, Authores fide dignissimi testantur: Quidquid enim præclari in Italia sub Brenno, cuius vxor Bizuntina, Sequini Sequanorum Regis filia, & qui ante Romanos omnium Galliarum primus imperium tenuit, & cui Brennus Gener successit, id totum Sequanorum consiliis, auxiliis, ac virtutibus, maxime referendum tradunt.

Sed postea, sicut de Romanis dictum est, hostes potentissimos experti sunt Galli, quod iunctos foedere strenuissimos adiutores, & Glorix consortes habuerant: huius hoc vnum ex Cæsaris commentariis pro mille argumentum sufficiat, orta scilicet contentio Æduos inter, & Sequanos, de Arari, cuius odij damna, non sine lachrymis Diuitiacus Æduus Cæsari narrauit, qui & Æduos asserit nobilissimos ciuitatis coactos dare obsides, & iureiurando ciuitatem obstringere, nunquam repetituram obsides, nec à populo Romano imploraturam auxilium, nec vllò recusaturam prætextu, quominus illorum Ditioni, ac Imperio subderetur.

Quem ergo Vestris sub auspiciis, hoc Opus in publicum prodiens pertimescat, quas non speret coronas, victrici per omnia dicatum ciuitati, qua propugnante triumphantes semper fuere Romani, impugnante fracti millies, & debellati. Quis inconcussam illius attentare audeat, vel concutere firmitatem, quæ fundatur super Bases aureas, & æternum stantibus vestris adhæret columnis; nec prohibere quis poterit, quin omnium cum applausu currant per orbem, sic firmata conclusiones, quæ non tantum super pennas ventorum, sed & super alas Seraphin, quibus velantur, feruntur, & volant.

Hæc de Gloria Militari vestra sibi subsidia pollicentur; non tamen sola sufficiunt, nam, vt habet Concilium Arauf. primum, non à fortitudine, quam facit Mundana cupiditas, sed à sola Christiana, quam Caritas, facit, tuta expectanda protectio. Sed, nec illud Operi nostro præsidium deerit, dum vestrum erit; Bizuntini siquidem, an fortitudine magis, an Religione floruerint, merito dubitetur. Mittimus Pantheon illud celebre, ac Romano æmulum, quia sacris profana immiscere indecorum censemus: Augustius tamen, quam vt silentio tegatur, quod Sequanos quondam dictos putant, non à fluuio, seu fonte Sequana, quod vulgus censent, nec vt ab Hebræis, qui habitatores vertunt, sed à Græco nomine

quod delubrum, ac templum Deorum, seu Heroum sonat, Quoniam

niam